

Ab. 127.
29.



DISPUTATIO XIV.

DE CONDI-
TIONE EX LEGE, ET
TRITICIARIA; QVOD CERTO
loco dari oportet: & de consti-
tuta pecunia.

Quam


Deo benè faventè

P R A E S I D E

ORTOLPHO FOMANNO
I. V. D. & P. P. P.

Ad diem 6. Octob. in publico Pandectarum Collegio defendere conabitur

Conradus Elerdus
Brunopolitanus,



G E N A
Typis Tobia Steinmanni,
ANNO M. D. IC.



Humanissimis & doctissimis viris.

Dn. CONRADO

Elers parenti suo ca-
rissimo:

**Dn. IOANNI METCENIO,
& Dn. ALBERTO LIN-**


DEMANNO affinibus suis
exoptatiff.

Nec non

Dn. ANDREÆ ELERS
fratri dilectiff.

*Hanc disputationem iuridicam observan-
tia & amoris ergo consecrat
dedicatq;*

Conradus Eler
us Brun.





I.



Condictio ex lege est condictio, quæ datur ex obligatione, quam lex aliqua nova introduxit, nec quo actionis genere agendum sit, expressit.

Condictio ex lege.

1.6 + c. 19 f. 1.

II.

Eiusmodi condictiones sunt ex l. i. C. h. t. l. i. C. de iur. emphyt. l. fin. C. de petit. her. l. diffamari. C. de ingen. man. & ex omnibus alijs, in quibus obligatione constituta, simul cautum non est, quo actionis genere sit experiendum.

III.

Num & condictitia ex lege, de qua in nov. 62. c. 1. §. 1. propriè est actio in personam? N. quia non quid dari, vel fieri, sed reddi & restitui petitur, nec ex potestate descendit.

162

1. 19 f. 3

IV.

In principum inferiorum statutis, & legibus municipalibus an locum condictio ex lege habere possit, ambigitur; Quod negamus.

1. 19 f. 5

V.

Condictio triticiaria, non à tritico frumenti genere, sed ab autore Triticio dicta, est condictio stricti iuris, qua promiscuè petuntur res quævis, certæ vel incertæ, tam incorporales quam corporales, excepta pecunia numerata.

Condictio triticiaria.

VI.

Hac actione, quoniam personalis, res nostras condicere non possumus, præterquam ex causa furtiva, vel

A 2

va, vel



va, vel vi mobili abrepta : immobilem dominus vi
deiectus condicit.

VII.

Cuius temporis æstimatione attendi debeat, dubi-
tatur. Defendere conabimur Donelli sententiam, ve-
nire in hanc actionem estimationem eius temporis,
quo ex conventionem res dari debuit.

VIII.

Et si obligationi certus locus adiectus est, eius
loci æstimationem sumendam esse.

IX.

Die vel loco non adiecto distingui inter obliga-
tionem speciei & generis. Illoque casu si res deterior
facta non est, condemnationis tempus spectari.

X.

Si verò deterior facta est, ad tempus moræ redus-
ci æstimationem, quanti plurimi fuit.

XI.

Nisi res in rebus humanis esse desierit, tunc enim
mortis tempus considerari.

XII.

In generis obligatione æstimationem ad litis
contestatae tempus referri.

XIII.

Sequitur conditio de eo, quod certo loco, quæ
est conditio arbitraria, utilis, qua is, qui certo loco
ex stricta actione dare debuit, alio quovis loco, ido-
neo tamen & legitimo, facta commemoratione eius
loci, quo dari debuit, conveniri potest.

XIV.

Hæc actio ut competat, necesse est, obligatio-
nem promanasse ex conventionibus stricti iuris.
Nam

lib. 2. c. 1. 19 f. 41
n. 1. ad 2. sup
p. 11. ad 1. 8. 8
f. 37 h. 5

N. h. ad 2. 18.
f. 38

lib. 13. c. 1. 3
f. 19

4. 3 f. 21

si conditio humani
pignus, ut in 2. sup
tempus quanti plurimi
de post. n. m. m.
causam ad 1. 8. 1
f. 35

Nolum ad 1. 7.
in 2. sup. p. 11. ad
16. 8 f. 38

De eo
quod cer-
to loco.

lib. 3. c. 1. 17 f. 105

14
Nam in bonæ fidei judicijs etiam si quid certo loco
promittatur, actio tamen arbitraria locum non ha-
bet.

lib. 3. c. 1. 18 f. 12
219.

XV.

Num quemadmodum propter loci, ita & rem
poris adiectionem, actio fit arbitraria? Non puta-
mus.

lib. 3. c. 1. 18 f. 24

XVI.

Estne actoris in hac proponenda actione, neces-
sario arbitrij mentionem facere? N. Nec opus est ver-
bis Imperatoris: sine commemoratione loci: addere,
& sine arbitrij mentione.

XVII.

Continet autem hæc condictio tam rei, quam
actoris utilitatem, ut æstimatio fiat, pro ratione eius
quanti interest, dicto loco solutum non fuisse: Rei
quidem indistinctè, siue moram fecerit, siue non.

lib. 3. c. 4. 18 f. 23

XVIII.

Actoris tum demum in hac actione versatur uti-
litas, cum reus in mora fuit, quo minùs constituto
loco solveretur.

XIX.

Moram autem facere reus non intelligitur, ante-
quam ad locum conventum potuit pervenire. Vti
nec tunc id reo nocet, quando creditor similiter in
mora fuit.

XX.

Datur hæc arbitraria actio non solum adversus
principalem debitorem; verùm etiam eius fideiusso-
rem, si ex sua mora conveniatur. Sed si reus solus in
mora sit, an hæc mora noceat fideiussori, ita ut possit
conveniri de eo, quod interest, loco præstituto solu-
tum

A 3

tum



tum non fuisse, dubiæ quæstionis est. N. nisi principali nomine ad id quod interest, se obligarit, vel in universam causam fideiussit.

XXI.

Cessat hæc arbitraria actio, si creditor loco solutioni præfinito contra reum agat, vel si sortem à reo acceperit, quia tunc ad interesse loci nulla competit actio.

XXII.

Quid si sortem accipiens creditor, sit protestatus, se saluum velle sibi servare interesse? Actio ad interesse non superest.

XXIII.

De Constituta pecunia.

Reliqua est actio de constituta pecunia, quæ etiam constitutoria, vel constitutæ pecuniæ dicitur, quam prætor ex favore naturalis æquitatis introduxit: Definitur autem condictio prætoriam, qua convenitur is, qui pro se, vel pro alio soluturum se constituit, nulla stipulatione interposita.

XXIV.

Requisita.

Requisita huius actionis, præcipuè duo sunt: 1. ut res constituta sit debita, & quidem vel naturaliter tantum, vel naturaliter & civiliter simul.

XXV.

Nec debitum tantum: verum etiam debiti accessorium, ut pignus & fideiussor, constituitur.

XXVI.

Civiliter tantum quod debetur, huius non est loci. Quid si sciens indebitum constituit? Donare videtur.

XXVII.

2. Ut constitutum factum sit citra stipulationem. Ideoque

lib. 3. c. 4. 18 f. 11

lib. 4. c. 1. 5 f. 59

Ideoque si interrogatione præcedente, & responsio-
ne statim subsequente quid constituitur, videtur sti-
pulatio facta esse, non constitutum.

XXVIII.

Constituunt omnes, qui & obligantur, sive mas *Efficiens.*
sit, sive fœmina, nisi fœmina intercesserit: sive filius fa-
milias sit, siue paterfamil.

XXIX.

Pupillus igitur, furiosus, prodigus sine tutoris
vel curatoris consensu constituere non possunt.

XXX.

Res quæ in constitutum deduci possunt, non *Materia.*
tantum sunt, quæ pondere, numero, & mensura con-
stant, sed etiam omnes aliæ, sive mobiles sive immo-
biles, sive corporales sive incorporales, modò in sti-
pulatione veniant.

XXXI.

Quibus verbis constitutum fiat, nihil interest, *Forma.*
modò verba nudi pacti terminos non excedant. Per
nuncium quoque vel epistolam, item tempore locoque
certo, denique aliud pro alio, rectè constituitur.

XXXII.

Nec solum purum sub conditione: sed etiam con-
ditionale debitum purè constitui potest, quo casu
expectatur conditionis eventus: Quodque certo die
debetur, in ceteriorem vel ulteriorem rectè constitui-

tur.

XXXIII.

Ac si quid certo loco constitutum est, id actio-
nis arbitrariæ naturam induit.

XXXIV.

Actione, quæ inde descendit, directa experitur is, *Efficiens.*
cui constituitur quid sibi vel alij debitum: utili verò
pupillus, municipes, furiosus, prodigus, si tutori, syn-
dico, vel curatori quid constitutum.

Datur

XXXV.

Datur adversus constituentem, & eius heredes, etiam contra filiumfam. ita ut pater illius peculiote- nus teneatur. Contra legatum verò non datur, nisi constituerit, se legationis tempore soluturum.

1. 3. c. f. 13 f. 111.

XXXVI.

Quæritur an hoc modo constituens: quidquid constiterit, Titium debere tibi, soluturum me consti- tuo; Titio mortuo antequam constitisset, quid debe- ret, de constituto teneatur? N.

XXXVII.

Sed an is qui pro alio constituit, à creditore con- ventus, exemplo fideiussorum excussionis, sive ordi- nis beneficio uti possit, in quæstionem venit? Quod affirmamus.

XXXVIII.

Sed si constitutum fortè creditori solvit, à prin- cipali debitore illud repetere potest, nisi fortè pro in- vito, vel animo donandi constituerit.

XXXIX.

Tollitur hæc actio solutione, facta ei, cui consti- tutum est. An idem iuris si adiecto principali obli- gationi solutum? A. Num verò tum obligatio tollitur ipso iure? A.

XL.

Item satisfactione, aut speciei, quæ in utramque obligationem deducta est, interitu absque facto ta- men debitoris contingente.

XLI.

Actio verò principali sublata, constitutoria non statim tollitur: Quemadmodum nec hæc illam consumit.

F I N I S.

Kc 3192

8^o

(X2217985)

VO 12

MC







DISPUTATIO XLV.

DE CONDI-
CTIONE EX LEGE, ET
TRITICIARIA: QVOD CERTO
 loco dari oportet: & de consti-
 tuta pecunia.

Quam
 Deo benè faventè
 P R A E S I D E

ORTOLPHO FOMANNO
 I. V. D. & P. P. P.

Ad diem 6. Octob. in publico Pandectarum Collegio defendere conabitur

Conradus Elerdus
 Brunopolitanus,

✠

G E N A
 Typis Tobia Steinmanni,
 ANNO M. D. IC.

